

1379 ferme loco demersit. Catena ad hæc ex navium antennis aliaque crassiore materia in speciem valli vadum obstruxit. Imperium omnium navium, quæ ad Brundulum missæ erant, Victori est datum. Quod ita ægre Thaddæus tulisse dicitur, (nam in suspicionem mutuæ æmulationis jam antea venerant) ut statim inde, ne sub imperio illius esse cogeretur, sua triremi abducta, ad Principem se contulerit. Reliquæ, quæ tredecim numero fuere, ad præsidium remanserunt, qua parte supra modum est a Veneto laboratum, hostibus infestantibus, assidueque inter se quærentibus, qua vi, quave arte mare sibi apertum redderent. Ligusticis navibus, quæ frustra eruptionem tentarant, Clodiam reductis, subito hostis circa Brundulum domicilium Virginum occupat, militarique opere communit. Deductis ad hæc secus parvam Clodiam navibus, alterum quoque Brundulani portus latus studet occupare. Re Victor animadversa (nam hostium naves ab altera parte movere cœperant) jubet Joannem Barbadicum confestim cum levioribus navigiis (quorum vis ingens ab initio fuerat eo missa) in hostem impetum facere: ipse vero in eam partem, quam Ligur capere destinaverat, triremes quam proxime poterat admovit: apparebat, portu utrinque ab hostibus infesso, Venetas naves omnino interclusum iri. Panditur portus ipse in quadringentorum passuum latitudinem, circa medium sane vadus, utrinque vero secus littora navigabilis. Jam alterum latus valido, ut diximus, præsidio Ligur infederat: si ad lævam quoque, quod facere destinaverat, exitum clausisset, perierant Venetæ triremes. Haud igitur in tanto discrimine cessatum: medio portu acre prælium est commissum, multumque a Venetis ob vim telorum ab hostibus qui in adverso littore erant conjectorum laboratum: sed rei periculum effecit, ut pertinacia nixus hostem præsenticonatu averterit: ipseque, nihilo secius occupato loco, præsidium tumultuario opere erexit, quod ut aliquanto tutius expediretur, & militum & opificum multitudo ingens ex majore classe accersita est. Ad eum locum tuendum Georgius Caballus Jacobi filius cum lectissima